Ochaborvica Gregorii: Quaestio de natura et constitutione Metaphysicae.

✠

D. O. M. H. D.

QVÆSTIO
De Natura & Constitutione

METAPHYSICÆ.

SVB

FELICISSIMIS AVSPICIIS

Magnifici Clarissimi & A. R. Dni,

D. ALBERTI ŁANCVCKI

I. V. Doctoris ac Professoris, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cancellarij, & S. Michaëlis in Arce Crac. Canonici, &c. &c. Almæ Vniversitatis Cracoviensis Studii, Generalis

RECTORIS

Vigilantissimi

A

M GREGORIO OCHABOWICZ

publicæ velitationi

in peraugusto

Aulæ Iagelloniæ DD. Theologorũ Lectorio

Anno Verbi incarnati, M. DC. LXI.

Pridie Jduum Novembris

horâ xv.

EXPOSITA.

CRACOVIÆ, Typis Viduæ LVCÆ KVPISZ, S. R. M. Typogr.

QVÆSTIO.

V. Metaphysicæ maximè desiderabilis Sapientiæ, Objectum formale & adæquatum, sit Ens reale quatenus Ens, abstractum ab omni materia, quod veras Passiones istas, *Unum, Verum, Bonum,* de se demonstrabiles potissimùm per hoc principium. *Impossibile est idem simul esse & non esse,* habeat: Nec ne?

CONCLVSIO I.

COngenitum hominibus sciendi desiderium, maximè in Metaphysicam fertur.

COROLLARIA.

I. *Erroris plena est eorum sententia, qui Metaphysicam dari negabant, vel penitus inutilem & non necessariam esse dicebant.*

II. *Metaphysica agit de rebus maximè intelligibilibus.*

III. *Metaphysica est summa perfectio, & felicitas intellectûs nostri.*

IV. *Innatum sciendi desiderium, magis in actum sciendi Metaphysicam, quàm in habitum fertur.*

V. *Quod multi non assequantur Metaphysicam, hoc fit per accidens, propter multas nimirum causas extrinsecas.*

VI. *Quò magis aliqua Scientia in sciendo accedit ad Metaphysicam, eò magis appetitur ab intellectu.*

CONCLVSIO II.

MEtaphysica est Verè Sapientia.

COROLLARIA.

I. *Metaphysica contemplatur maximè Universalia, tam in causando quàm in prædicando.*

II. Me-

II. *Metaphysica est rerum difficillimarum quidem, sed summam perspicuitatem habentium.*

III. *Per Metaphysicam apti sumus ad docendum, & causas rerum reddendas.*

IV. *Metaphysica praeest alijs scientijs, propter quod imperium, rectè dicitur Architectonica.*

V. *Metaphysica est Scientia speculativa, libera, omniumq; Scientiarum praestantissima.*

V. *Metaphysica est maximè contemplatrix Veritatis.*

CONCLVSIO III.

METaphysicæ Objectum formale & adæquatum, est Ens reale quatenus Ens, abstractū ab omni materia.

COROLLARIA.

I. *Ens sic acceptum, includit Objecti rationem formalem Quae, & Sub qua.*

II. *Ens in tanta latitudine acceptum, vt se extendit ad Entia per se, & per accidens, ad Entia realia & rationis, non potest esse Objectum Metaphysicae.*

III. *DEVS, Intelligentiae, Substantia in communi, Ens denario Praedicamentorum numero clausum, non possunt esse Objectū Metaphysicae totale, sed bene partiale.*

IV. *Scientiae ad certas species Ens contractum considerantes, Metaphysicae subordinantur.*

V. *Metaphysica secundùm latitudinem sui Objecti accepta, perfectè à nobis sciri non potest.*

VI. *Entia rationis excluduntur à consideratione Metaphysices.*

CONCLVSIO IV.

ENS quatenus Ens habet veras passiones istas, *Vnum, Verum, Bonum.*

COROL-

COROLLARIA.

I. Istæ paßiones, sunt idem re cum ipso Ente, nec ab eo nisi ratione differunt,

II. Istæ paßiones Entis, convertuntur cum Ente, & adinvicem.

III. Res, aliquid, pulchrum, intelligibile, revocantur ad Ens, & ad præmemoratas illius paßiones.

IV. Inter istas paßiones, Vnum, *est prima paßio.*

V. Istæ paßiones nihil reale superaddunt Enti, sed tantùm vel negationem, vel relationem rationis.

VI. Supra enumeratæ paßiones, dicunt ipsum Ens, connotando superadditum.

CONCLVSIO V.

IN Metaphysica passiones de suo Subjecto demonstrabiles sunt, potissimùm per hoc principium. *Impossibile est idem simul esse & non esse.*

COROLLARIA.

I. Istud principium non potest demonstrari Demonstratione ostensiuâ, nec ducente ad impoßibile.

II. Circa hoc principium nemo falli potest.

III. Hoc principio debent demonstrari alia.

IV. Contra negantes hoc principium sola redargutione vtendum est.

V. Illud principium De quolibet est Vera affirmatio aut negatio, *est prorsus idem cum isto* Impossibile est idem &c.

VI. Impoßibile est inter Contradictoria, posse dari medium.

Soli DEO Honor & Gloria.

PERMISSU M. D. RECTORIS.